



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

Generalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

GENERALIS. 193

mosynaliter datur, quamuis habeat certitudinem probabilem & moralem. Vnde quantumcumque dictis Fratribus iure naturali, vel diuino vel alio, aliquid debeatur pro Missis, Sermonibus, aut aliis exercitiis spiritualibus vel alia quacumque causa non possunt id petere, vel recipere nisi eleemosynaliter, sine vilo titulo iuris ciuilibus; bene autem possunt recipere domus ab aliquibus dominis temporalibus præbentibus omnia necessaria ad victum & vestitum, absque eo quòd ostiatim petantur, quia hæc certitudo est tantum moralis. *tom. 3. q. 3. art. 3.*

GENERALIS.

Vide Electio, Degradatio, Eiectio ab Ordine, Aedificia, Visitatio.

Generalis non potest facere statutum sine Capitulo; sed tantum præceptum eius morte finiendum. Idem est iudicium de Prouinciali, Prouincia, & Ordine, quia sicut Prouincialis non potest statutum condere sine Capituli maiori parte; sic nec prouincia potest statutum facere sine suo Prouinciali.

N ciali

ciali, vel Ordo sine suo Generali.
rom. 1. quest. 10. art. 1.

Generales Ministri habent iurisdictionem ad modum Patriarcharum, seu Primatum (differunt autem Patriarcha, & Primas solo nomine) Prouinciales ad modum Archiepiscoporum, Custodes ad modum Episcoporum; Guardiani autem sunt sicut Archi-Presbyteri, & Confessores sicut Parochi, seu Presbyteri. *rom. 1. q. 12. art. 5.*

GRADVATIO.

Vide Confessarij quoad presentationem.

Possunt Clerici post Clericatum, & etiam Monachi ad Doctoratus gradum in iure civili promoueri, si ante Clericatum, & Monachatum ei operam dederint. *rom. 2. q. 74. art. 1.*

Bonifacius IX. concessit Magistro Generali Ordinis Prædicatorum pro tempore existenti, quòd in quolibet Capitulo generali dicti Ordinis, vni ex Fratibus in Theologiæ facultate prouecto, modò per Generalem & Diffinitores Capituli, vel aliquos